CORONA CAPITIS

Ex auro optimo Virtutum & Meritorum Aviti ZIELINSCIORVM Sanguinis

ELABORATA,

&

ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. CONSTANTINO JOSEPHO

de Gosciska

ZIELINSKI,

Archiepiscopo Leopoliensi,

In Solenni ingressu ad Leopoliensem Archicathedram

à Loviciensi Scholarum Piarum Collegio

CONSECRATA

Anno Jubilæi

1700.

VARSAVIÆ,

Typis Collegij Scholarum Piarum.

In Stemma

Illustrissimi, Celsissimi ac Reverendissimi

ARCHIPRÆSVLIS.



Inter Sarmaticis radiantia Stemmata ceris,
Hæc Caput & Dextrâm, *gestat Avita Domus.*
Omnis cedit honos Capiti, Regumq; Corona
Cedit, ut immensum cingere doctá Caput.
Ex hoc principium petimus, Tu proxima laudes
A Capite *exorsas,* Dextera *scribe Tuo.*

Ad

Illustrissimum, Celsissimum & Reverendissimum

ARCHIPRÆSVLEM

ODE DEDICATORIA.

REgum coronas & diademata
Ad purpuratas addimus Infulas,
Insigne Regnorum trophæum,
Præsuleæ sociamus Aræ.
Sic rarò solus scandit in aureas
Honor curules; agmina grandibus
Stipata gestis, mille secum,
Per populos trahit apprecantes.
Commune vulgi quæ supereminet
Encomiorum pondus, & arduos
Virtus decores, comparatas
Eloquio leviore laudes
Contemnit: Auro tænia Principum
Intexta, dignum sic decuit Caput
Regale munus consecratas,
Sic decuit redimire Vittas.
Sors prominendi nulla decentior,
Non corrogatâ luce sereniùs,

Ful-

Fulgere gestorum: paternis
Nec pretium meritis pacisci.
Avita frustrà Stemmata fulgurant
Appensa nigris densiùs atrijs,
Nos nostra commendant peractæ
Quæ gerimus monumenta famæ.
Præconiatrix pagina protulit
Hæc quæ vetustis plena nitoribus,
E sanguinis desumpta Magni
In brevius redigit Corona.
Non fabulosis fascibus indigus
Vinciris isto culmine celsiùs,
Quod è Tuorum penna velox
Accumulat solio laborum.
Quantùm secundo tolleris omine,
Inter bicollis munia purpuræ,
Quantùm Polonas invidendus
Præsulibus remeas per urbes.
Ascende faustus crebriùs inclytas
Ascende Regni non humilis bases,
Tendas per immensas honoris,
Per Procèrum sinuosus Arces.

Ita vovet

ILLVSTRISSIMO ac CELSISSIMO NOMINI TVO

Devinctissimum

Colleg. Lovic. Scholar. Piar.

PANEGYRICUS.

AD Metropolitanũ culmen bonis avibus coronatum verticem Archipræſuleâ mitrâ importans Cathedræ ſecundo votorum noſtrorum applauſu Tuam concomitante felicitatem inaugurâris fortunatus ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME. Videntur hîc eviſcerare ſe honori Tuo Auſpices Dij, quando altâ pace cum Oriente factâ; ſub tempus Jubilæi magni, quo pleno ſinu Mater Eccleſia Spirituales diſpenſat gratias; ſub AVGVSTO SECVNDO, Rege Poloniarũ Sereniſſimo, nihil non auguſti, nihil non ſecundi ſuo etymo portendente, Regalem ubiqve gloriam & tremendum hoſtibus nomen circumferente; plaudentibus omnium de-

ſiderijs; tripudiantibus votis; exili.
entibus in acclamationem affectib⁹;
irrugiente felicitati Leone Ruſſiæ;
ad infulati muneris eminentiam,
per inſtratum veſtigijs muricem
CONSTANTINO Succeſſor invitaris CONSTANTINVS. Latis
paſſibus, obambulante Poloniam
pace, ingrederis culmen Archipræſuleum, nè triumphali Nomini ſub
crucis labaro deſit auſpicium, manubiasq́; honoris videatur denegare
fortuna, quæ in Annulo Pontificio
ſuam Tibi, ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, inſcripſit æternitatem, vel quia ſemper ea locutus
es & opere compleviſti, quæ ad
pacem ſunt, ideò tranquilla pacis
tempora ſacris Tuis faſcibus meruiſti; Anno gratiæ, ut documento
ſit, quibus Te dignum gratijs per
indefeſſos labores & merita in Eccleſiam effeciſti, cui eodem tempore porta patet ad gradus purpureos, quo recluditur per ſolennem
in *Vaticano* cerimoniam; Sub AVGVSTO REGE, ut in ſucceſſionem
tem-

temporis noſtri ſerò ventura poſteritas pretium à magnitudine metiatur, quantus eſſe debebas meritorũ amplitudine, ſub tanti Nominis Poloniarum Moderatore, cujꝰ etymon ſolum cogitando ſatis habebit æternitas. Et huic Tuæ gratamur fortunæ, quia cum ejusmodi ſpe publica dignis infulato honori Tuo aſſiſtit augurijs, fatemur tamen, quòd niſi his præluſiſſet auſpicijs Sacris Tuis faſcibus, juſto eam proſequeremur lamento, vocaremus utpotè ream honoris Tui ad tribunal doloris noſtri, exprobraremus crimen, ulciſceremur excluſione è cœtu Superûm, ſi Tuæ jacturã gloriæ in multis hoc joculare Numen attentâſſet: nec enim nobis parva vindicta ſufficeret, qui Tuis meritis Summa omnia, quæ Sæculorum ingrediantur admirationem deberi non ignoramus. Gigas honor ſit neceſſe, parem cœlo ſtaturam, æqualem Nereo amplitudinem aſſumant laudes, quæ parantur celebritati Tuæ; alias Pygmæa oratio non compareat, niſi

velit mereri cachinnum ridentis mundi; vel intra oceanum meritorum Tuorum velut minutior gutta abſorberi. Ipſi nos præſidentius eloquentiæ ſtudium vindice mulctaremus indignatione, ſi minùs conſultâ temeritate auderet Tuorum majeſtatem Operum humili recenſere locutione, & non potiùs turritis verborum auxeſibus ad usqve cœlum attollere, ultra Sydera elevare conniteretur. Ideò hîc nullus apex, qui nolit creſcere Tuis laudibus, nulla litera, quæ non ambiat magnitudinem Tui, nulla ſyllaba, quæ nexu literarum augere non deſideret Tuam gloriam. Si dictionum perveſtigas alacritatem ARCHI-PRÆSVL ILLVSTRISSIME, quælibet cum exultatione reſpondebit, divino labio ſe velle dicere Nomen Tuum, ſi commatum? nullum erit, quod in columnam tranſire non cupiat characteribus gloriæ Tuæ exornatam; ſi inciſorum? hæc non partes laudum Tuarum, ſed integros tomos & volumina deſidera-

bunt;

bunt; ſi membrorum? non diffido, quia viritim omnia ad panegyricam integritatem aſpirabunt; ſi rotundarum periodorum? hæ volent Sphæram Orbis univerſi agere, ut gyro perpetuo æternum Tibi vehant & revehant Solem; deniq; oratio tota nil niſi faſtigiatum, celſum, æternum honori Tuo meditatur. Et quamvis conſcia ſuæ tenuitatis ſit, nec ignorat, quamlibet cogitationē Tuam mereri annales, quodlibet verbum Delphico par oraculo, dignum eſſe Iliade, quemlibet actum, totum pro pagina requirere cœlū, quia tamen vel parvo eloquio Tuas proferre laudes ingens magnitudo Panegyrici eſt, eas adſtruimus, non ignari, cumulatiùs Orbi conſtare Nominum amplitudinem, ſi minimis communicatur. Syderum Imperator Sol eò celebritate ſuæ lucis nobilior, quia nullas deſpectat valles; mare magnum, quia minutioribus rivulis ſe circumcingi patitur. In Supremo Jove illud præcipuum

 eſt,

eſt, quòd thure placari ſe permittat, cùm deſit hecatombe,

Parvo coronat munere ſe Deus,
Plerumq; ſi quæ paupere dat manu
Dives voluntas, parva magnis
Sæpè animo placuêre magno.

Tibijs canunt qui tubis nequeunt, æquè tamen læta ad concentum exigui ſiſtri Deorũ gloria, ac grandioribus celebrata barbitis; æquè dies ſerenus in primo ortu à Cygnis luſcinijsqve ſalutatus, quàm à rudi avium permiſtarum plebe. Neq; Tuæ quidquam detrahetur gloriæ ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, ſi inter tot eruditorum Capitum conſtituta exercitus exilis oratio noſtra aggreditur pumilione ſtylo humanos cogitatus, tranſcendentem Panegyricum purpurati honoris Tui, non enim ideò cœlo contermini colles minores ſunt, quia eos parvi circumſtant monticuli, nec altæ cedri exindè aliquam patiuntur injuriam, quòd ad earum menſuram, ſive aliquando ulteriùs proijciatur famularis umbra, proinde nec honor Tuus omni major Pa-

negy-

negyrico, ſi eum puſillus, & minutim per paginam ſparſus, proſequatur labor atro ſudore manantis calami. Eò magis eminebit, & ultra ſtaturam noſtram elevabit ſe, quò minutior dictionum quadrans aſſeritur in ejus laudes. Ita enim conſultum nobis, ut qui magnitudinem Tuam attingere non valemus, admiremur ſaltèm à longinquo patritij ſanguinis dimanantem Oceano.

Et quidem à Capite noſtræ totius admirationis fonte, Tui verò ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME decoris aviti fundamento ectaſim defixæ mentis incipimꝰ. Quantum in hoc membrorum Principe poſuit fortuna prodigium! meditabuntur futuræ ætates, attonita mirabuntur Sæcula, ſtupebit æternitas. Meditabuntur ætates, quos debebunt honores naſcituris ex hac Familia Viris, à quibus poſtrema omnia principe membro in patritiū decus conſignato removit parens fortuna ſucceſſuum; mirabuntur *Caput Stemma Illuſtriſſimi Archipræſulis.*

Sæcula, quia annis quingentis ſexaginta duobus à primis abſtinuiſtis purpuris, licèt ad eas capite gentilitio præſignati eſtis; ſtupebit æternitas, unum tantùm iſtius Stemmatis Gneſnenſi Cathedræ primatiali mitrâ, alterum nunc Leopolienſi Archipræſuleâ CONSTANTINVM ZIELINSKI præfuiſſe, cùm tamen veſtro Capiti omnium ætatum principatus, primiq; honores debeantur. Nec immeritò: quidquid enim vel intra undantes Clypeos tempeſtatemq; Martis glorioſum fuit, vel ſub tranquillo pacis otio ad Regni integritatem operoſum Herculeo labore indiguit, vel inter aurea liberæ vocis ſcrutinia ad Senatum pertinuit, vel innocentiæ defendendæ per obtentum gladij à Curiali Themide commiſſum Tribunalib⁹ lætam fecit juſtitiam, veſter interfuit labor, æſtuabat induſtria, fatigabatur opera. Spectavit arduam, non tamen humeros prægravantem palæſtram hanc non ſine invidia noſtra antecedentium

Archiepiſcopus Gneſnenſ. iſtius Stemmatis unus, alter nunc Leopolienſis.

anno-

annorum oculus in *Gregorio Zielinski Palatino Plocensi*, viro ætatum Phænice & verè Thaumaturgo, qui tot fecit miracula, quot mira & stupenda succedentibus Sæculis arcano consiliorũ sensu antidota infirmanti sua inter mala Patriæ propinavit. Spiraculum vitæ illud fuit, in quo nemo non vivere sibi videbatur, quod ille in publico consessu Procerum defatigatione pectoris per longiora pneumata ad communem Regni integritatem dirigebat. Agere animam nunquam debuit, qui in tali obsequio Reipublicæ vitam egit. Verè Senator non à purpura, sed à gravi maturitate prudentiæ: ita portavit muricem, ut nunquam erubesceret pro levitate sententiæ: ita sedebat in Senatoria sella, ut semper staret pro Patria. Enituit sub SIGISMVNDO III. hæc in commune bonum ejus proclivitas, dum enim aliorum requirerentur manus ad confirmationem subscribendam Pactorum, ipse non postremâ authoritate suum adjecit

Gregorius Zielinski Palatinus Plocensis, manu & consilio potens.

Subscribit se Confirmationi Pactorum sub Sigismundo III. Rege Poloniarũ.

C chara-

characterem, ut haberet, quod æternâ lectione recitaret posteritas, disceretq; vel exindè amantem Patriæ Civem, quòd non solùm cor, sed & manus donârit illius paci, nunquam pro fortuna suorum ambitiosior, quàm ubi ipse & ferè totus impendendus erat. Stupenda liberalitas in libertate seipsum non habere, & sibi ipsi tunc deesse, cùm prodesse oportet omnibus. Communis tamen hæc sui profusio in *Zielinscijs*, qui non sibi, sed Patriæ vivunt, & tunc maximum sui lucrum existimant, quando nullam partem sui habent, quâ deserviant privato bono. Intravit hunc nunquam interituræ laudis syllabum *Valentinus Zielinski Castellanus Plocensis*, Avus Tuus ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, qui publicarum curarum solicitudine quantùm valuit, testatur zelus gravi sententiarũ authoritate ponderosus in medio cœtu Purpuratorum, aliorumqvè Procerum, dum generali scrutinio Patres Patriæ boni communis rem

Valentinus Zielinski Castellanus Plocensis, Avus Illustrissimi Archipræsulis.

decer-

decernerent, conſulerentq; meliori fortunæ totius Regni. Senſit Periclem diſcors & ſano ſenſui refractaria contradicentium æmulatio, cùm ille vehementior melioris voti aſsertor fervidioribus daret linguam argumentis, & pænè voce fulmineâ attonaret aures. Plumbeam grandinem in ſuum effuſam caput exiſtimabat obfirmata in ſuo ſenſu pervicacia, quoties hic verborum jacula Catone torquebat eloquio, & inter diſertos rationum conflictus ſtabat pro veritate inconcuſſus. Tunc experta Polonia Martem & Palladem armata Numina optimè in *Valentino* convenire, dum & in campo glorioſiſſimè belligerantem, & in conſeſſu Purpuratorum Civiũ lingua bis acutâ rhomphæâ protervos animorum ſenſus triumphantẽ, gratulabundo metiretur obtutu. Vltra ſuperbam antiquitatis jactationem probavit Cæſarem ex utroq;, cui & rutilans bellico uſu chalybs in barbarorum cervicibus crudo hiantem vulnere inſcripſit gloriam, &

eruditus codex memorandis poſteritati oraculis non trivialis ſapientiæ celeberrimam confecit hiſtoriam. Eousq́; revolvimus non ſine ſuavi mentis illecebra, quos in obtentum labantis Patriæ hic alter Scipio torquebat enſes; refricamus memoriæ externo Sole calentes victorias, reducimus in chartam agonales paſſus, reviſimus heroicæ præmia fortitudinis, detractas hoſti manubias, circumſpicimus victrici calcaneo inſtrata Gelonorum cadavera, ſtagnantem ſanguinem, reſciſſas chalybe cicatrices; poſt redditam verò diſturbijs militaribus pacem, ubi jam triumphali ſerto cædibus exſatiatum Martem redimivit, admiramur in conſulendo prudentiam, in zelando maturitatem, in perſuadendo verborum robur, in defendendo modos, in obſequendo Regibus promptitudinem, in occurrendo rebus arduis, communibusq́; incommodis ſagacitatem. Recenſent non tam prudentis liquore calami, quàm inter obſequia

Regni

Regni defluis ex ejus fronte ſudoribus ultra ſinus laudationis exundantes faſti, quam in utroq; foro meruerat lauream *Valentinus*, quantus manu & capite, quibus inter æquales meritis, inter majores dignitate, & niſi ipſe ad tantam augem gloriæ pertigiſſet, vix ipſis annalibus crederemus. Æmulati Fratrem *Sigismundus* & *Nicolaus Zielinſcij* quò tantùm vocabat gloria, & anteambulo Prædeceſſorum honor impellebat, eò non tantùm pernicia vota, ſed cataphractos etiam expediebãt labores. Merebantur his prodromis ad ſumma pervenire culmina, niſi eorum Nepotibus, in quibus viverent diutiùs glorioſi, ſuas fortuna reſervâſſet gratias, quas brevi cum fœnore primo *Joanni Zielinſki Caſtellano Viſnenſi*, Filio *Nicolai Zielinſki*, tandem alijs per ſucceſſionem ſanguinis compenſavit. Amorem videlicet parentum imitata, qui omnem beatitudinem ſuis exoptant filijs, & tunc vel maximè videntur ſibi felices, quando in ſuis eminent

Sigismundus & Nicolaus, Fratres Valentini Zielinſki natu minores.

Joannes Zielinſki Caſtellanus Viſnenſis.

Successoribus. Implevit hic magnorum vota parentum unio, omne pretium è mari sanguinis congenitis adæquans talentis, quia se uno illorum perfecit numerum, qui singulari æstimatione digni, ad magnos fasces requiri poterant. Ostendit non ipsâ multitudine, sed etiam multis virtutibus magnas constare familias; si illud rectefactis attingunt, quod sufficit multis ad imitandum. Infundit paginæ grata memoria, sed nec nos inviti locum damᵒ inter Panegyricos *Zielinsciorum* LVDOVICO ZIELINSKI CASTELLANO SIERPSCENSI, CAPITANEO CIECHANOVIENSI, Patri Tuo ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME. Nullus hunc violentum expertus, proinde nec nostræ dictiones panegyricæ, quæ ultrò ambiunt, ejus aptari laudibus, ultrò se insinuant portando Nomini. Gratior nunquam ingenijs occupatio fuit, quàm laborare ejus gloriæ, quæ non ab Avo pictisqve Aboriginum simulacris, sed à con-

Ludovicus Zielinski Castellanus Sierpscens. Capitaneus Ciechanoviensis, Pater Illustrissimi Archipræsulis.

cate-

catenatis ſibiq; mutuò ſuccedentibus conſtabat meritis. Findi capita multis neceſſe, ut effingant aliquid, & adoptivo laudis apparatu indignis addant nominibus, ipſe genuinâ virtutum ſucceſſione, ita ſuas nobilitavit laudes, ut nihil opus ſit, à conceptu ingenij ad ejus celebritatem addere, qui plus multò ſudavit in obſequio Patriæ, quàm doctæ ſepiæ ſcriptorius poteſt profundere calamus. Si ejus capitis fatigati ſudoribus ſcribere vellemus encomia, impleremus Orbis univerſi Bibliothecas, occuparemus ejus laudibus imprimendis typographias, & nihil omnes mortales facerent, niſi legerent ejus laudes, vel meditarentur actionum prodigia. Si profuſo barbarorum ſanguine effigiare characteres gloriæ niteremur, chartarum priùs officinæ cum ſuis deficerent operatoribus, quàm de illo ſcribendi materies. In ſe unum heroum nomina tranſportavit, qui illum vidit, Romani decus Imperij vidit Pompejum, vidit pro

ſuaTroja dimicantem Hectorem, vidit pro ſua Græcia luctantem Annibalem; qui illum audivit, redivivũ audivit Tulliũ, Cecropio halantem favo audivit Cyneam, probavit ſenſu maturum Neſtorem. Non laboravit deſiderio, ut illa veteris eloquentiæ admiraretur prodigia, nam in eo totum fuit, quod non unius tantùm hominis, ſed omnium pænè mortalium expleret admirationem. In eo habuit, quod grandi ſuo emolumento perdiſceret juvenis, æmularetur vir, imitaretur ſenex, laudaret civis, gratularetur Patria. Fuit enim religione Pompilius, amore Codrus, magnanimitate Scævola, militari dexteritate Cocles: in Divorum triclinijs ſanctus, in Magiſtratibus rectus, in Tribunalibus juſtus, in aulis non diſſolutus. Vultu affabilis, modeſtus oculo, benevolus corde, manu beneficus, morigerus conſuetudine, gratioſus geſtu, quem prudentia gravem, facundia ſuavem, ingenium probavit admirabilem. Quoties lo-

quebatur, aures omnium possidebat, quoties agebat aliquid, universorum imitatio vigilabat, quoties meditabatur, arebant desideria, eò avidiùs fruitura ejus Hymetto prudentiæ, quò tardiùs in linguam dictionum executio veniebat. Nihil fecit, quod in suum non conservaret depositum mater annorum æternitas, ad perennitatem splendoris in Successoribus duraturam, quam, dum astra suis reflectent cursibus orbem, serò nascituri Nepotes ad gloriam usurpabunt. Fatuos ignes plurimorum actiones imitantur, qui ad modicum tempus fulgent, & dum volant pereunt, quia vel ad privatum focum suam lucem nanciscuntur, vel tantùm ab optimis Progenitoribus resplendescunt, *Ludovici Zielinscij* rectefacta non ad breve tempus illustria, quia vel ad irati Martis nitrata incendia, vel ad Serenissimas Regum majestates ardenti obsequio Reipublicæ caluerunt. Inter mortuales favillas situari non possunt, quin in motum

quendam æternum expediantur; ſi enim unumquemq́; ſeqvuntur opera, quæ ſe authore fiunt, immortali paſſu obambulare æternitatis gyrum non negabimus ea, quæ honeſta initia, finem habent glorioſiſſimum. Ideò laurus aſſymbolum æternitati præmium ritu ſolenni Antiquitatis donabatur ſimilibus, ut conſtaret perennare labores, qui laſſo anhelitu ad vitam animati æternum vivere meruerunt. Fatigant quidem multorum vires fatigia, & alto præcordiorum ſuſpirio quendam agonem generant luctantibus inter ſe viſceribus, non tamẽ ita fatigant, ut non ſimul ad gloriæ perennitatem aſpirare faciant, eamq́; cogant impetrare ſæpiùs geminato anhelitu. Si verò addant eliquati ſudoris gemmas, & emendæ perennitati impendant, nullum reor illius eſſe pretium, quod venale non ſit pro ejuſmodi, non è ſalo, ſed ſalſo frontis defatigatæ ſucco prodeuntibus margaritis. Et hic ut plurimis ſufficit ad obtinendam

nomi-

nominis perennitatem quæſtus, utpotè non inglorius, *Vladislao Zielinſki* non ſuffecerat, quin proprij ſanguinis ab hoſte pro Patria cæſus affunderet Rubiconem. Purpuris hunc Illuſtriſſimi genuêre Parentes, proinde nec ipſa mors eum eſſe voluit ſine purpura. Tulit oſtrum proprij ſanguinis glorioſiſſimum Libitinæ munus, quia non ſine gloria bellicæ fortitudinis. Pulchrum hoc moriendi genus medias inter laur⁹ triumphaliter præcinente buccino, tranſilientem cadavera hoſtiū cœlis donare animam, & ibi mortualem edormire ſomnum, ubi nitratus Mulciber æternum diem præliaribus accendit ignibus. Pleroſq; in tenebris ſupremi deliquij auferunt manus Libitinæ, dum inter domeſticos lares in mollioribus culcitris & pulvinaribus ignavū præſignant agonem; jam verò ſub Dio militare caput cingente coronâ ſyderum magnis heroibus mori permiſſum eſt, ut ſic ab ipſo cœlo aſtrorum quotidianis recaleſcente flammis,

Vladislaus Zielinſki miles pro Patria moritur in caſtris.

 ignes

ignes habeant triumphales; & quemadmodum ſuæ magnanimitatis metas nec terminum habuerunt, ita totius campi militaris amplitudinem in ſepulchrale reconditoriũ nanciſcantur. Digni quibus æterno vere ultra ſuperbæ antiquitatis votum victrices palmæ frondeant, quandoquidem non tantùm ſalſo frontis ſtillicidio, ſed proprio quoqve ſanguine easdem ubertant. Sed quia non omnibus moriendi facultas pro vita Patriæ, diſtribuit variam inter *Zielinſcios* benemerendi copiam in Regno Poloniæ prodiga diſpenſatrix gratiarum fortuna. His videlicet extra fines Regni, alijs poſt cruentas cum barbaris colluſiones ad latus majeſtatum captandæ gloriæ uberem permiſit licentiam. Quantus autem in unoquoq; illorum impenſæ à fortuna gratiæ uſus fuit, patet liquidò in *Valentino Zielinſki Caſtellano Plocenſi*, *Joanne Dapifero* itidem *Plocenſi*, *Adalberto*, *Sigismundo*, & *Martino Zielinſcijs*, qui ut pretioſius aurum in corona-

Quinq; Zielinſcij ſubſcribunt ſe electioni Vladislai IV.

to ver-

to vertice VLADISLAI IV. Regis Poloniæ rutilaret, electorali pondus calculo, & suæ manûs subscriptione addiderunt. Plurimum sibi videbatur accessisse majestatis Optimus ille Poloniarum Regnator, dum à tot uni⁹ Domûs, tantorumq; suffragio Civium, crescere suam dignitatem vidit. Nec immeritò: quò enim plures voto suo & affectu Regiam felicitatem comitantur, eò major paludatis imperijs æstimatio, augustior tæniatæ gravitatis pompa. In auro etiam pauper majestas proindè & omni exposita subditorum injuriæ, si non habet sequaces affectus, quorum clientelâ dissidio cordium laborantes in sui flectat reverentiam. Non est opus fortunarum luce ab Indis Tartessijsq; æstimatâ sublimiori trunco elevatos suggestus Principum serenare, ut præ reverentia nictantem vulgi submittant oculum, sufficienti lumine radiabunt, si exporrectis in sudum frontibus assistant Cives. Magna pars fortunæ Regũ,

multi amici: plurimum auctoritatis coronæ in cujus ornamentum, non tam Erithræi maris uniones, quàm unitus in amore Principis ſui populus aggregatur. Sceptris familiarem & ſingulare decus majeſtatum hoc loco revereor *Joannem Zielinſki Gubernatorem Ciechanovienſem*, Fratrem Tuum ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, qui non ſolùm in nomine, ſed in lingua etiam portabat gratias. Ex *Helena Zawadzka Palatinide Parnavienſi* genitus, documentum fecit, Caſtores & Polluces ex talibus naſci, ad quorum lumina Reipublicæ navis optimè dirigatur. Vltrà viginti vices in Comitijs Nuntius nullum habuit, qui ſuæ electioni votum ſubtraheret, quinimò apud omnes eos favores conſecutus eſt, quod univerſi de eo eligendo certare debuerint, omnes in dando ſuffragio priores eſſe voluerint. Ille ſe rebatur felicem, qui gratioſum Nomen ejus ante alios pronuntiavit, alij niſi pronuntiâſſent, multum fortunæ ſuæ deeſſe

Joannes Zielinſki Frater Illuſtriſſimi, ultra viginti vices in Comitijs Nuntius.

arbi-

arbitrarentur. Ex tanto votorum atq; favorum conflictu ad generalia Regni Comitia Ablegatus, ita suorũ servîjt desiderijs, ut nihil residuum fuerit, quod ab eo fieri desiderarẽt, se excepto, quem collatis desiderijs universi ad primos expetebant honores, ut qui prior alijs in eorum fuit affectibus, non esset ultimus in honore. Ad publicum Regni Tribunal deputatus Judex nunquam offendit justitiam, ratus grande sacrilegium profanare sacram Themidẽ, vel peccare in eam, quæ virtutum aliarum Dea est. A tinnitu æris, auri, & argenti mortuæ signo justitiæ maximè abhorrebat, nihil magis funestum judicans, quàm sepulchrum æquitatis. Augent sanguinem, sed non minùs Panegyricum *Stanislaus Zielinski Subdapifer Plocensis*, & *Jacobus Vexillifer Dobrzynensis*, uterq; nexu germano Frater Tuus uterinus ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, quorum sola pronuntiare Nomina satis est ad gloriam Oratorum. Sufficienter explevit &

Ad Comitia generalia ablegatus.

Ad Tribunal Deputatus Judex

Stanislaus Zielinski Subdapifer Plocensis, & Jacobus Vexillifer Dobrzynensis, Fratres Illustrissimi.

ſuæ laudis famem & facundæ munus eloquentiæ, qui unum *Subdapiferum* elocutus eſt; inter plauſus & vota multorum triumphavit, qui *Vexilliferum* ſuo expreſſit charactere. Non eſt opus, quod diſerto ore magnos proferat Scipiones, antiquatos Romanæ gloriæ portet in lingua Æmilios, inter laudes ſui eloquij miſceat Orbis & Vrbium terrores Alexandros; facundi oris ingentem gloriam conſecutus eſt, qui *Stanislaum* dixit: Pericleis fulminibus ſe fecit inclytum, qui *Jacobum* in ore habuit. Ipſa *Zielinſciorum* commemoratio ingens eſt Panegyricus. Nam ad eorum celebritatem nihil majus excogitari poteſt, quàm illi ipſi. Qui ſolum Nomen eorum protulit, ſimul protulit immortalium virtutum decora, protulit avitam & pænè hæreditariam eorum Domui fortitudinem, æſtu gradivo calentes victorias, conſeneſcentes protulit ſub caſſide vires; dixit prudentiam publicis commendatā ſucceſſibus, rebus in arduis trium-

phan-

phantem induſtriam, ſolertem in ſummis Regni negotijs accurationem; recenſuit omnibus honorum titulis circumflua merita, oſtendit *Ludovici Zielinſki Theſaurarij Łomzenſis*, ex *Tereſia Brzoſczonka*, filia Succamerarij Nurenſis geniti, ad Tribunal Deputati vitijs formidabile ſupercilium, virtutibus, & innocentiæ, renidens in vultu ſudū;* evulgavit ſimul & ſemel *Joannis*, *Jacobi* & *Ludovici* Fratrum meritiſſimum ternionem cum ſummo gloriæ argumento in Comitijs legatione functum: *Caroli*, *Adalberti*, & *Franciſci Zielinſciorum* Cataphractæ cohortis militum ſævi inter flabra Bootæ omnibus cœli injurijs augeſcentes vires, præliares fortunas, repullulantes inter Cupreſſum barbarorum palmas, vocali buccino auroram inter & Heſperum celebratum Nomen. Sed quia non ſatis eſt ad avitam celebritatem ſolius Patris gloria, adjungunt ſe Nobiliſſimâ cerarum Antiquitate venerandi maternæ Domûs Aborigines SI-

Ludovicus Zielinſki Theſaurar. Łomzenſis, in Tribunali Judex Deputatus.

Tres Fratres ſimul & ſemel Nuntij.

Carolus, Adalbertus, & Franciſcus Zielinſcij milites.

G GISMVN-

Ex materna Domo Alexius Zawadzki, Isabellæ filiæ Vladislai I. in Aula Præfectus, posteà Consiliarius.

GISMVNDI I. Regis Poloniarum cor *Alexius Zawadzki*, à Patre Rege ad suum *Joannem*, Regem Hungariæ proficiscentis *Isabellæ* in comitatu Supremus Aulæ Præfectus, post fata Joannis Reginæ Consiliarius, Aulæ favoribus primus, honoribus non postremus, nisi livor externi Solis hominum perniciosior ipsis venenis pocillator intoxicato eum tractâsset poculo, & suaviter propinatam consiliorum dulcedinem, amarore veneni compensâsset. Sed ingratum Zoilorum facinus, quod more noctuarum ad alienam caligat lucem, & nunquam lætum, nisi letho extinctæ felicitatis, non hausit solatium ex morte *Zawadzcij*, qui alter Theseus ante suum diem supremũ ossa in Patriam exportavit, indignũ ratus inter vites Pannoniæ mori, qui totus quantus vivens Poloniæ immortales merebatur vittas. Et hic ardor patriæ terræ amantium est, quòd suos ei donent cineres, cui vitam debebant, nec patiantur vel unâ atomo se imminui, quorum

Veneno ab invidis hausto redux in Patriam moritur.

in Pa-

in Patriam amor, quoadusq; vixerunt, fuit integer. Ingreditur paginam *Adalbertus Zawadzki*, eximius Patritij sanguinis æmulator; eò illustrior, quò majori flammâ pectoris non in solam Patriam, sed in Religionem etiam veri Numinis æstuabat. Ardentissimum in Orthodoxa vocatione tunc vel maximè se exhibuit, cùm libros hæreticorum exussit, dignus cui æternâ luce dies perennis ardeat, qui sic amore in Deum arsit, ut nullas impietatis tenebras passus fuerit. Auxit fervorem in suo munere non degener parente filius *Bartholomæus Zawadzki Canonicus Cracoviensis*, fidei Catholicæ assertor zelosissimus, nec non exotico Sole Orator apud SIGISMVNDVM AVGVSTVM, & STEPHANVM Reges Clarissimus. Os Principum factus linguæ immortalem accepit lauream toties melle Cecropio Orator suavissimus, quoties diversis Imperatoribus Christiani Orbis peroravit, toties fulgentissimus omnigena titulorum luce,

Adalbertus Zawadzki libros hæreticorum exurit.

Bartholomæus Zawadzki Canonicus Cracoviens. Orator Sigismundi & Stephani Regum.

quoties in evidentia explicandorũ Reipublicæ arcanorum apud externas majeſtates laboravit; pro quibus obſequijs *Plocenſis* & *Pultovienſis* præter Stallum Cracovienſe *Canonicus*, promiſſam à Rege STEPHANO meruerat Infulam, niſi fatalis lapſus Regiæ majeſtatis, ſtare promiſſis vetuiſſet. Sed etiam meruiſſe Præſuleos faſces illi ſatis fuit, qui virtutum ſuffragio capax dignitatum omnium cenſebatur. Nullus erat honor, qui *Bartholomæi Zawadzcij* eſſe non cuperet; nulla purpura, quæ ipſius lacertis aptari non ambiret; nullum faſtigium, quod ſe ſpontè non acclinaret ejus pedibus; totus labor Phænicius ipſi ſoli videbatur ſudare velle; tota ſidon in honorarias abire tunicas, in quibus virtutum amplitudo ſpectabilior appareret, ſuumq; dec⁹ merita nunquam non præmianda invenirent. Si Pontificias vittas interrogare tunc licuiſſet, explicâſſent vota ſua, narrâſſent deſideria, nec eas puduiſſet ambitionẽ ſuam propala-

Præterea Plocenſis & Pultovienſ. Canonicus in promiſſo Regis meretur Infulam

palare, quâ in *Bartholomæi Zawadzcÿ* merita æſtuabant, illum ſibi & præcipuis in Polono Orbe Cathedris depoſcendo. Ac proinde non ſuppetebat, cur lamentis inſectaretur fortunam, quæ ſibi ad infulatos honores objectu Regalis fati præpedivit veſtigium, quandoquidem ex ſuarum electione virtutum talis eſſe cenſebatur, qualis requiritur ad ſumma honorum faſtigia. Hæc enim vera & ſola Nominis celſitudo eſt, in humana exiſtimatione eminere, & non tam ab elevatiore dignitatis gradu, quàm grandeſcentibus in Patriam meritis nanciſci ſublimitatem. Infundit ſe calamo *Joannes Zawadzki Judex Ciechanovienſis*, germanus *Adalberti* Frater natu ſecundus, favore imperiali primus. Et quamvis raró in Aulis gratia conſeneſcat, ille tamen ad latus SIGISMVNDI AVGVSTI Regio cordi propior gratioſiſſimè juventute exactâ non longo poſteà temporis intervallo maturuit in affectu STEPHANI Regis, quem & in expedi-

Joannes Zawadzki Judex Ciechanovienſ.

H

pedi-

Contra Moſchum Stephano Regi miles aſſiſtit.

peditione contra Moſchum ſecutꝰ, cornu ſuum gentilitium vocale fecit, quia hoſtem confecit. Vt autem veram probâſſet paræmiam in decus avitum ſibi creviſſe cornua, tamdiù inter hoſtiles cuneos inſoleſcebat, quamdiù Mars ille ruſticus ſupereſſe potuerat. Et quia alter Mithridates Moſchovitico colluctatus draconi poto profecit ſæpè veneno,

Contra Gedanenſium rebellionem Duci Zborovio adiungitur.

contra rebellionem Gedanorum cum Duce *Zborovio* expeditus, ita adſtrinxit effrenem eorũ licentiam, ut trahi cogeretur, ad Regis obſequium, & frontem ſeditioſam deponere ad majeſtatem Poloni Imperij. Non minori dexteritate animi civilibus turmis pro Rege miles ſe infudit *Joannes Zawadzki*

In civili bello Sigiſmundi Regis comes individuus.

ſub SIGISMVNDO III. in armis domeſticis elanguente Polonâ Republicâ. Triſte illud fuit ſpectaculum, pharſalicoq́; indignꝰ crimen piaculo, dum fœderati in mutuam necem cruentum chalybem cives induerent, alternoq́; jugulo imprimerent campis facinꝰ, quia tamen

palu-

paludatæ amor innocentiæ in defensionem Regis provocabat, ivit *Joannes*, ut eum, quem paucis ante diebus à Balthici maris salutatum itinere cum lectissima Equitum Polonorum assistentia hospitem inauguratum Sarmaticis invitavit Sceptris, incolumem inter civiles motus custodiret, & cui se inter communes Regni applausus humanum præstitit, illum inter funestè gementes tubas ad cognatam armorum collisionem sospitem tutaretur. Non transijt sine vulnere *Joanni Zawadzki* cruenta illa Martis cognati area, transijt sine mortis periculo, quia ad majus cum Zoilorum exercitu propter favores Regios reservabatur certamen, quod ubi felicissimè semper in affectu Principis sui triumphans absolvisset, *Castellanatum Gedanensem* accepit in præmium, brevi posteà *Palatinus Parnaviensis* & *Gubernator Suecensis* elicuit invidiæ lachrymas, quæ lucem alienam ferre non potest. Infelix ærugo famæ, cui solùm de-

Castellanus Gedanensis, tandem Palatinus Parnaviensis & Gubernator Suecensis.

pressæ valles alienarum calamitatum, & ipsa rudera collapsæ felicitatis placent, nihil Joanni nocuit, qui contra eam virtute suâ se tutatus, non solùm in campo Martio annis quadraginta belligerans militarem victorijs claravit capulum, sed internarum etiam triumphator insidiarum, inoffenso pedemate omnem calcavit viam, sive illa ad postes honorarios, sive ad gloriam deducebat. Legatione functus ad Duces *Prussiæ* & *Curlandiæ* ita suum executus est munus, ut mereretur à VLADISLAO IV. ad Reginam Sueciæ Palatinam Rheni Mariam Ducissam Nivernensem, nec non ad alios fœderatos Státus mitti interpres majestatis. Nec mirum: vox clamantis *Joannes*, debuit audiri extra Polonum Orbem, qui terram patriã complevit famâ; debuit audire *Belgium*, *Galliæ* & *Britanniæ* coronata Capita *Joannem Zawadzcium* perorantem, qui nunquam in vinculis nisi fraterni suorum amoris, quantumvis nodos ipsi

Ad varios Duces & Status mittitur interpres maiestatis.

tan-

tantùm, & ſoli Macedoni reſolubiles non coarctatâ linguâ penes innatam Poloniæ libertatem arcano Regum depromptos archivo in ſinu Principum externorum evolveret; debuit audire, & exaudire confinis Poloniæ, affinis corde, fœdere, & ſolo Auſtria, ex qua Illuſtriſſimæ propaginis Comitum de Szczwerin *Sophiam* impetravit ſibi Conjugem, non ſolâ familiæ Szczwerinianæ gloriâ, ſed etiam ternâ uteri ſui fœcunditate, nimirùm *Joanne*, *Vladislao*, & *Friderico* filijs, Nobiliſſimã. Fructus hic fuit illi honoris, Patriæ ornamentum, deliciæ Principum. Et quidem *Joannes Zawadzki Succamerarius Parnavienſis* & *Gubernator Suecenſis* ut profugam terris Aſtræam inveniret, variam exotici Solis peregrinationem tenerior ætate ſuſcepit; redux verò in Patrios fines Judex Deputatus in publico Regni Tribunali ſubſellium meruit, in quo juſtitiæ ſe totum impendit ſic, ut nè uno quidem membrorum articulo ſuus eſſe voluerit. Nuntius in

Coniugem accipit ex Illuſtriſſima Comitum de Szczwerin familia Auſtriaca.

Filios relinquit Joanni tres, quorũ unus Succamerarius Parnavienſis & Judex in Tribunali, reliqui milites.

Comitijs nullum punctum intermiſit, in quo ſua non eluceret dexteritas. *Vladislaus* & *Fridericus Zawadzcij* in Martem proniores ultra Gades Herculeæ fortitudini terminales victorem enſem promoverũt, ſatis ſibi ſuffragij ad purpuram rati hoſtilem ſanguinem. Addunt ornamentum, quia ad Te pertinent ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME Herburtorum decora. Eorum avitæ opes ex ſui ſanguinis prodeuntes Oceano veſtræ ſunt, quas Illuſtriſſim⁹ Pater veſter, tandem Vos hæreditate cognationis poſſediſtis. Jurè vobis à perenni viriditate laurûs *Zielinſcijs* decuſſati *Herburtorum* enſes obtigerunt, qui uſu bellico antiquitatem redoletis, & eam gloriam, quam à veſtris Aboriginibus accepiſtis, recentiſſimo charactere in barbarorum cervicibus per indefeſſum belli negotium renovatis. Non feciſtis jacturam magni Anteceſſorum veſtrorum Nominis, quos olim mitratis honoribus cumulavit Opolia, purpuris decoravit Polonia, manu-

Ludovicus Zielinſki Pater Illuſtriſſimi natus ex Barbara de Fulſtin Herburtowna.

manubijs auxit pede hoſtili temerata Podolia. Vixerunt illi vobis ad exemplum, vos illis vivitis ad perennitatem; transmiſerunt Nomen ſuum hæreditati veſtræ, vos retinetis. Proindè mori nequaquam poſſunt, quia in vobis vivunt. Quousq; *Zielinſciorum* in memoria poſteritatis vernabit Nomen, vivet *Nicolaus Herburt Caſtellanus Camenecenſis*, vivent vitâ mutuâ in *Nicolao Zięlinſcij*: adjungent ſe connexione Sanguinis immortales *Zamoyſcij*, ſtipabunt *Działynij*, circumſtabunt gyrum æternitatis omni trabearum celebritate inſignes *Kraſinij*, aſſiſtent *Szczavinij*; Non fatigabuntur penes avitum decus Soleæ curſu æternitatis in Sago & Toga illuſtres *Mniewſcij*, memorabiles omni ætati *Laſoccij*, purpuris & curis Reipublicæ commendati *Narzymſcij*, meritis in Patriam ornatiſſimi *Galemſcij*, *Moſtowſcij* & *Koſobuccij* magna, quæ in ſui reverentiam flectant olim poſteritatem, Nomina; Ducent coævum æternitati Sæculum in am-

Nicolaus Herburt Caſtellanus Camenecenſis & alij Colligati Zielinſciorum.

plitudine ſuorum Nominum patriâ *Zielinſciis* obligati faſciâ & Sanguinis propinquitate *Gębiccy*; evigilabunt ad famæ buccinum gentilitij *Pariſſorum* Leones, *Gninſciorum* Dracones, *Szydłowſciorum* Vrſi, *Roſciſzewſciorum* Agni; Stabunt immotis baſibus avitæ *Oborſciorum* Columnæ, *Garwaſciorum* Turres, *Vchanſciorum* Labara; Vim nullam fatorum, temporumq; cuncta demolientium timebunt injurias æternitate gloriæ immortales *Zołkievij*, incircumſcripti famâ *Noſkowſcij*, obſequio Patriæ infracti *Kuczborſcij*, Regum fidelitate commendati *Brzoſcæ*, togatâ prudentiâ æſtimandi *Podoſcij*, armis & Infulis celeberrimi *Mdzewſcij*, Tribunalium ſellis fortunati *Sleſzynſcij*, Regum affectibus cumulati *Grzybowſcij*, negotijs Reipublicæ infatigabiles *Duciminſcij*, ſuarum prodigijs actionum admirandi *Morſztinij*, profuſione ſui in commune bonum inexhauſti *Kęczewſcij*, qui omnes augmento Sanguinis, vaſtiſſimâq; rectefactorum gloriâ complent æter-

nita-

nitatem, ut ſciat Orbis, quanta magnitudo Nominis Tui ſit ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, cui tantus Majorum exercitus ad amplitudinem cognatæ gloriæ ſuffragatur.

Et quamvis hæc avitæ magnitudinis ingens copia faciat plerosqve inopes, qui ſuorum Prædeceſſorum claritudinem in obtentum aſſumunt deſidiæ, contenti eo, quòd à pariete ſuſpenſas habeant Majorum imagines, vel audiant magna illorum encomia, Tu ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, novam adjeciſti induſtriam, quâ præeuntium Tibi Anteceſſorum æmulareris veſtigia, illasq; Gades magno paſſu attingeres, in quibus *non plus ultrà* Aborigines Tui defixêre. Iviſti per laurus Delphicas ad gloriæ Capitolium, Parnaſſeumqve jugum ita pòëticis Novennis puer triviſti pedibus, ut merereris in campum eloquentiæ non ſoli ingenio, ſed virtuti etiam ſpatioſum excurrere. Solutus hîc fuiſti Ora-

Studia cum pietate tractat Illuſtriſſim⁹ Archipræſul.

K tor,

tor, non tamen diſſolutus; ita currebas in ſtadio diligentiæ, ut nunquam ceſpitares in probitate; inter lapides offenſionis lapis fuiſti, ſed ſcintillans amore virtutis,quem nulla unquam movere poterat improborum perſuaſio ad lenocinia invitantium. Si dulcedo placebat? illam ab Attico melle delibâſti; ſi veris amœnitas? hanc inter folia quæſiviſti literarum; nunquam hilarior, quàm ad fontes Rhetoricos inter luſus verborum, ſive plectra metro canentium Poëtarum. Tota recreatio Tua inter flores eloquentiæ, quas in ſerta virgineæ probitatis, & ingenij coronamentum decerpebas. Felix Cracovia! quæ non ſolis Regum verticibus imponit coronas, ſed etiam magnis gignit herbam ingenijs, quam referant in triumphale præmium conflictibus literarijs; ter beata! quæ Tuæ Palladi ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME fecit cunabula, quia meruit Te Muſarum delicium, Academi Solem, jubar noctis Atticæ. Facilè præ-

Cracoviæ in Academia primùm.

præſagâ mente vaticinari potuit Regina illa urbium Polonarũ, quia Tu Archiantiſtes futurus, ejus Muſæa occupabas, qui omnium capax ſcientiarum, omnibus ingenio anteſtabas. Melior Tu Chironis Achilles vel Theopompus Iſocratis, quoties Tuo Præceptori Diſcipulus aſtitiſti, exiſtimabant pleriqve Demoſthenem in ore Tuo, quoties familiari colloquio ſententiarum gravitatem miſcuiſti; ſi ab exedris Scholaſtico ſublimior trunco feciſti aliquando verba? univerſorum cenſuit exiſtimatio, pleno fluxiſſe alveo fontes Rhetoricos in Tuum os, qui ita Romanam facundiam ſuavi eloquio expreſſiſti, ut videretur lingua Tua loqui Tullium, & crederetur nata eſſe, quæ majeſtates alloqueretur. Approbavit Tui felicitatem ingenij, & natam ſcientijs mentem Ingolſtadienſis Academia, quam Pallade Cracovienſi imbutus poſteà adîjſti. Vidit in Te Parentum gloriam, gentis Polonæ decora, Patriæ ſpes, auguſti honoris dotes. Pro-

Poſteà in Vniverſitate Ingolſtadienſi.

micabat vultu Tuo vaſta literarum capacitas, vigor mentis elevatæ, ingens librorum aviditas, Nobiliſſim⁹ animi ignientis fervor ad omne id, quod vel ad magnorum Parentum ſolatium, vel Reipublicæ deſideriũ pertinebat. Nictare debuerunt Ingolſtadienſes noctuæ, ad inſolitum Tui lumen ingenij, quod umbroſo earum Academo adeò infudiſti, ut poſthàc diem æternum crederent opaca inter frondium Delphicarum nemora. Illuſtrâſti noctes Atticas, cui fax mentis honeſtæ nec non gratiſſimum animi præſagientis futuram lucem publicam jubar in vultu radiabat. Solem Te dixiſſe debuerunt, qui & ſplendore avito, & mentis clariſſimâ illuminatione in illa ſcientiarum Ingolſtadienſium Vniverſitate præſtabas alijs. Sed nec Pariſienſe Lycæum Nobiliſſimã ſcientiarum metropolim, Gallicæ ſedem Palladis, per exoticos horoſcopans Planeta cœlos tranſire voluiſti, quin lacteam illam (ſiquidẽ à lacte appellatur Lutetia) ingre-

Lutetiæ Pariſiorũ.

dere-

dereris viam, fieresq; exinde ad ſapientiæ faſces Candidatus, quem à Polo dicta Polonia cœlo honorum deſtinavit. Inviſiſti Scholam gentium, urbanioris vitæ magiſtram, Regnum Scientiarum, Solem externũ Sol, Vrbem decoris decus, ut Gallica Joſeph referres lilia, cujus virtuti coronandæ non ſufficiebat Orbis Polonus. Creſcere videbatur à Tuo Nomine Regni illius lætitia, quia magnis Te parabat votis proſequi *Magnum* re & nomine *Conſtantinum*. Expreſſiſti ibi gentis Polonæ decorem, viditq; in Te *Zielinſcio*, Cenſor ille morum populus florem Imperij Noſtri, cui ſemper exoticas inter Nationes vernare licet. Oſtendiſti Regnantium majeſtatem, Senatûs gravitatem, Civium Nobilitatem, populi honeſtatẽ, facilè enim iſta omnia ex Te conijci potuerunt, qui omnium Polonorum ideam vultu & animo præferebas. Placebas omnibus, & nullus fuit, qui Tui ſuavitate vultûs recreari non contenderet, revereri

modeſtiam non geſtiret, admirari ingenium non ambiret. Si quærere voluiſſes, inveniſſes plurimos, qui Tuum vultum Apelleis mandabant coloribus, & per vicinos portabāt lares, ut neminem vel ſimulacrum magnæ Tuæ indolis latuiſſet. Hoc tantùm reatu in illam gentem deliquiſti, quia Romam petiturus, exacto vix biennio, Gallias reliquiſti. Facilem tamen veniam exceſsûs illius indulſit Tibi *Vaticanus*, quem de Deo ſcientias auditurus, acceſſiſti. Meritorius hic fuit actus Tuus, quia non ſine laurea doctorali utriusq; Juris Tibi transîjt. Solam exiſtimationem ab exotico Orbe multi referunt, & emptos duntaxat titulos devehunt in Patriam; Tu laureâ coronatum caput, quia non vacuum ſacrâ Pallade fuit, exportâſti, ut documentum Polonus Orbis caperet, non caluiſſe tantùm Te peregrino Sole, ſed etiam claruiſſe. Reviruit in Te ſpes Eccleſiæ, dum præmiales has ſacri laboris vittas mereris *Zielinſcius*, nec importunè La-

Theologiam Romæ audit

tij

tij ſeptem colles ſurrexerunt, fatidicum aliquid lymphis inſuſurrante ſibi Tiberi, quandoquidem in Vrbe Orbe majori palmam ingenij accepiſti, ubi nullus, niſi magnus, ſui æſtimationem nanciſcitur. Dedit judicium de Te caput Orbis univerſum Roma, quòd non ſolùm in vertice ſepticolli, ſed etiam in plano Poloniæ auguſtam honoris elevationem merearis. Sicut defacto habuit pond⁹, Oenotrium illud ſuffragium in Polono Orbe, vix enim auctior diſciplinis in Patriam remeâſti, illicò ad latus Regium MICHAELIS I. & fama publica verſatiſſimi apud externos ingenij, & rara indoles Te promovit. Suſpexit Korybuteum ſidus æſtimatam ab exteris, & ipſis dotatam naturæ talentis indolem, ſed non diu. Criticus fatorum veſper umbris Korybuteam involvit Cynthiam, à qua Tu poſt noctes Atticas ſplendorem hauriebas. Sic ubi lucere deſîjt, Te mœſtiſſimum inter CupreſſusRegis, & lugentes communem ſui orbita-

Ex Italia redux ad latus Regium Michaelis I. aſſumitur.

tem Patriæ Cives, dereliquit. Non diu tamen hic pullus tenuit Cives pupillos dolor, quia intra paucos menses felicissimâ inauguratione JOANNIS III. ex cordibus universorum exulare debuit. Quare depulsis vultu lachrymis novâ majestatis luce fruiturus, sub Serenissimum gentilitij obtentum Clypei perrexisti. Et hîc Tuus Regiarum majestatum cultus invenit gratiam. Appretiavit ingenium Tuum, non magis lumine scientiarum, quàm virtutum claritate conspicuum, Salomon ille Polonus, ideò statim meritos cæpit parare fasces, ut non ipsius tantùm vertex Regius, sed Tua etiam coronaretur indoles. Prima hæc ejus, inter alias Regni, cogitatio fuit, ut Te super candelabrum Ecclesiæ lumen, non postremo elevaret honore. Proindè quoties Te Regio dignabatur oculo, sudum frontis claritati fascium præmittebat; quoties loquebatur, linguam honoris cogitatione prævertebat; quoties meditabatur, mentem præ-

Post fata Michaëlis Regis ad latus Joannis III.

vio

vio dignitatis Tuæ anteibat deſide-
rio, ita ut Tu unus videreris caput
Regium magnarum ſedem cogitati-
onum occupâſſe, & ille nihil medi-
tari niſi Tuum honorem. Vbi ta-
men ſtationem illi defigeret, præ-
ter Cathedralem Vladiſlavienſem
Præpoſituram, quæ nihilominùs E-
piſcopos ſemper educabat, non in-
venit. Fatumné illud, an Regnato-
ris fuit induſtria? pro Tuo utrum-
qve honore: Suffecerat enim Tibi
ſciviſſe viam, quâ pergitur ad infu-
latos faſces. Raró feſtiva ſunt, quæ
feſtina, & vix aliqua in ſublunari
mundo reperitur celebritas, quam
parit celeritas. Vile Serpyllum, &
ignavum herbarum vulgus urticæ,
ad breve tempus durant, quia uni-
us veris pignora; Jovi dilecta quer-
cus ſæcularem tranſcendit canitiē,
quia juventam diù fovet. Paulatim
ſcilicet ſumma petuntur, nam nihil
ſubitum, quod non ſit ſubditum vi-
litati. Archipræſuleos Tibi parabat
fortuna murices, ſecundos poſt Re-
gnatorem Poloniarum gradus fabri-

Vladiſlavienſis Præpoſitꝰ à Rege creatur.

M cabat,

cabat, in quib⁹ ſolidior ut ſtetiſſes, à Vladislavienſi Præpoſitura lentum callem præſignavit. Ita nihilominùs Te illis donavit faſcibus, alter ut remex vada minoribus lembis prætentares, antequam ingredereris Oceanum. Parvus ille, ſed magnis præluſit honoribus, quos obibas pedentim, antequam pervenires ad ſummum. Duorum vacantium Epiſcopatuum, Vladislavienſis videlicet & Plocenſis, ſimul & ſemel adminiſtratio probavit Te Atlãtem, qualisq; eras futurus Hercules, demonſtravit. Binum portâſti Olympum non ſine ſemente gloriæ, cui & *Vomeres Madalinij* culturam præmiſerunt, & *Dąbſcia* cultum *Arbor*, quæ dum lapſu fatali in rogum Libitinæ ceſſit, Tibi de publica luce non parùm acceſſit. Inclaruiſti rarâ adminiſtrationis prudentiâ, quia illam Provinciam, quæ duobus egebat Capitibus, Tu unus abſolviſti. Pingvia ſatis paſcua grex Chriſti relictus invenit in Te *Zielinſcio*, qui ex Tuis paſſionibus mul-

Duorum Epiſcopatuum ſimul & ſemel Adminiſtrator.

tas

tas herbas triumphales tulisti, in omnibus moderatus, exemplaris, sanctus. Et hæc virtutum claritudo, ulteriores honoris umbras evocavit. Ivisti Ablegatus ad Comitia Generalia Mariæburgensia, eâdem claritate sermonis, quâ virtutum conspicuus. Non egebat Aristophanis lychno, evidentiam cogniturus arcanæ mentis Regiæ cœtus ille Nobilitatis, cui Tu linguâ internuntiâ, adeò illam demonstrâsti, ut Sole clarior videretur. Et quid mirum, quòd corda omnium in Regis sententiam pellexisti? qui suavem ore Hymettum, Cecropiasq; Hyblas prætulisti. Traxit universorum linguas, in consensum propositi Regij, Tuorum dulcedo verborum, quæ, & gratiam JOANNIS III., & candorem liliati Nominis in Josepho, redolebat. Hinc gemina illa ad Tribunal Regni Deputatio Herculem Te invenit Gallicum, qui catenâ verborum delinquentes reos ligares, innocentiam Tibi obligares. Schinotenes omnes arbitrabatur

Ad Comitia Mariæburgensia Ablegatus.

Ad Tribunal Judex Deputatus.

ſcelus, quoties contra illud à decretoria ſella detonuiſti, & nunquã ſe majoribus circumventam anguſtijs nequitia reputabat, quàm ubi inquiſitoriâ utereris circuitione. Vltimam egiſſe periodum ſibi videbatur improbitas, dum ad puncta recurreres. Et hic judiciarius rigor ſæpiùs flexit ſacram Themidem in reverentiam *Tui Aviti Capitis*, quod talem ſibi progeneraret Palladem, quæ pro ſe armata ſtaret. At in illo Tribunali, neqve Tu ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME evaſiſti ſententiam: decretum Tua tulêre merita, ut infulatum portares caput. Quis tunc rubor Tuus? murex collatus indicabat. Neq; enim Tu verecundari poteras, qui purpuris nihil indignum egiſti. Et ejusmodi innocentes amat Honor. Pulchrè ornatur titulis, quem non deformant vitia. Aliàs monſtrum tæniatum eſt, flagitium honoratum. Procul à Te hæc portenta, qui Gneſnenſibus lilijs admiſcebaris *Zielinſcius*. Vitâ integer, Præſuleas initi-

Suffraganeus Gneſnenſis creatus.

âſti

âſti vittas, ut merereris *Agno* immaculato *Radziejoviȷ̈* ſociari, qui paſcitur inter lilia. Pontificia hæc virtus eſt; *oportet enim Epiſcopum ſinè crimine eſſe, ſicut DEI diſpenſatorem.* Labores Tuos non vocamus in paginam, quia timemus, nè ſuccumbat. Satis tamen habent præconij, quòd recentes vivant in linguis Eccleſiæ Lovicienſis, & totius Metropolitanæ Diœceſis. Quotquot ſacris admoviſti Aris, tot feciſti Oratores, qui Tuis laudibus ora victimant; quotquot tractus, per viarum incommoda, muneri ſatisfacturus Præſuleo, circumiviſti, tot reliquiſti tractatus Tuorum encomiorum; inſuper hanc univerſis neceſſitatem impoſuiſti, quòd benè loqui de Te nunquam non poſſint, cogitare nunquam non deſiderent. Hanc eandem nunc imponis neceſſitatem ambulatorijs noſtrûm omnium voluntatibus ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, quòd non linguis tantùm & deſiderijs, ſed etiam cordibus Te ſequamur ad Archicathe- *Archiepiſcopus Leopolienſis.*

dram Leopolienſem. Imus votivis onuſti affectibus, qui Tui ſum⁹ obligatione: comitamur pennatis acclamationibus è nido Gneſnenſis Diœceſis pulli: provolamus in applauſum præpete Lovicienſi Pelicano, ut non ſolus Apollo inter cœtus Deorum albo provehatur Olore, ſed etiam Tua fortuna ad præfixum Honori culmen. Noſtrorum comitatu votorum ingredere Theatrum illud, quod Tibi pridem Tua fabricabat virtus. Illuceſce Ruſſo climati ſidus, magnæ felicitatis prænuntium. Explica purpuram, cujus nitore ſacro, mentes omnium ſerenentur. Proſpicit erectus aviditate ingreſſus Tui Leoninus collis, expectant gregis tædia, ultra ſenectam Neſtoris fortunatus pulchritudine gloriæ Tuæ & honoris purpurati intende, proſperè procede, & regna.